

Promeritum Alcides tandem conscendit Olympum !

Ergo tuus pariter variis mihi casibus Heros

Exercendus erit . Milcebo adversa secundis ,

Jamque omni duros iratam offerre labores ,

Jamque hilari sortem vultu ridere jubebo ,

Primum igitur castris cum jam sese inferet ipse

Eloquio , grandique animo , vultuque venusto

Attonitus Regem Rex poscet Carolus : illum

Collecti proceres , civesque in regna reponent ,

Et pacto armatas conjungent foedere dextras .

Necquidquam denso tutatus milite sceptrum

Æmulus objiciet sese , bellumque movebit .

Ipsè tuis victus , victus socialibus armis

Victori regnum , & titulos sibi cedit ademptos .

Quis non sublimi tum demum in culmine tutum

Censeat Heroem , stabilemque in fronte coronam ?

Ast ego præcipitem tanto de vertice casu

Dejiciam subito : socium novus obruet hostis ,

Et fractum in Traces abiget : sua sceptrà reposcet

Æmulus arma ferens , pulsoque e finibus hoste ,

Ipsè tuos placida populos ditione tenebit

Composita jam pace , tuisque incommoda terris

Avertet demum , ac felicia tempora reddet :

Ne dubita : sic fata jubent , sic Juppiter auctor .

Ille autem & regno pulsus : terrisque paternis

Quam sortem profugus , quos duros mille labores

Perferet exul , inops , Geticis captivus in oris ,

At sorte adversa , atque ipso felicior Heros

Exilio ! Totus profugum admirabitur Orbis

Suspiciens , grandemque animum , mentisque vigorem :

Ipsè inopem plaudens totus spectabit Olympus ,

Et statuet certam merito super æthera sedem .

Scilicet in tantis immotus fluctibus , acre

Ingenium placidus servabit , & ore sereno

Fortunæque iram , ac regnum contemnet ademptum .

Haud tamen hos longum patiar tolerare labores

O

Im-